



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pymontani, Liberi Baronis De Furstenberg

Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>

Parisiis, 1684

Ad Hortensium Maurum Veronensem, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-7748

58 FERDINANDI EPISCOPI MONASTER.
Tunc succurre meo tam mitis, Diva, labori,
Immitis genitor quam fuit ipse Tibi.

A D

HORTENSIUM MAURUM
VERONENSEM,

*Acidulam fontis Melliti, juxta Smechtam, pagum Diocesis
Paderbornensis, hoc Epigrammate laudantem.*

AUREA dum primæ coluerunt sæcula gentes,
Ambrosias populis mella dedere dapes;
Aëriæ quercus sudarunt roscida mella,
Mel fuit in foliis, mel fuit inter aquas.
Te quoque, qui reddis nobis ea tempora, Princeps
Inclyte, non miror mellis amore capi.
Cum Tu sis vere mira dulcedine morum,
Melleus ingenio, melleus eloquio,
Par est, ut fontes ipsi tibi mella propinent,
Ut tibi mellitas terra ministret aquas.

RESPONSUM AUCTORIS.

MELLITOS latices nuper dum libat Apollo
Imbutos venæ nectare, Maure, tuæ:
Non magis insignis mira virtute medendi,
Carmine quam Mauri nobilis unda mei.
Vatis, ait, tanti meritis & laude superba,
Castalii poteris vincere fontis aquas.